pertinet, præmia pro meritis rependere: sed hoc secundum ad justitiam distributivam pertinet; ergo &c. primum.

Respondeo, neg. ant. Ad prob. neg. min. *Præmia enim pro meritis rependere*, non est actus justitiæ distributivæ, sed commutativæ. Et ex hac tenetur Respublica remunerare eos, qui in ejus commodum laborarunt; sicut punire eos, qui ejus jura violarunt: & utrobique servari debebit æqualitas arithmetica, ut tantum detur, quantum meriti in alio est, sive ad præmium, sive ad pœnam. Servare autem æqualitatem arithmeticam sive in præmiis, sive in pœnis, justitiæ commutativæ est, non distributivæ, quæ solam æqualitatem geometricam servat, ut dictum est. —— Distributio ergo propria justitiæ distributivæ, non respicit, quid boni alius in Rempublicam gesserit, sed quid boni habeat in se; & quid unusquisque mereatur secundum conditionem personæ, & status: videlicet, quam sit sapiens, virtuosus, nobilis, pauper &c. ut juxta proportionem talium bonorum, & conditionum, quæ quisque habet in se, bona communia illi applicentur. At punitio respicit, quid mali egerit delinquens contra Rempublicam, vel partem ejus, ut tantum pœnam ei infligat; quod justitiæ commutativæ est proprium. Quare, ut alicui bona Reipublicæ tribuantur, sufficit, ut sit bonus in se; ut puniatur vero, requiritur, ut sit improbus in alios, & ut præmietur, ut sit bonus erga alios. Quæ notare, operæ pretium duxi.

XXII. Contra secundam partem dices. Qui suum ab alio repetit ad æqualitatem, exercet veram justitiam: sed per vindicationem privata persona suum ab alio repetit ad æqualitatem, quia inflictio pœnæ proportionatæ est compensativa injuriæ; ergo &c. Maj. prob. Justitiæ enim est reddere jus cum æqualitate.

Respondeo, neg. maj. Ad prob. dist. ant. Jus alteri, conc. ant. Justitia enim ad alterum est; & ideo respicit jus alteri tribuendum, non sibi reparandum; hoc enim spectat ad amorem sui. Et licet versetur circa alterum, illud reducens ad æqualitatem, non proinde ad veram justitiam pertingit: quia, ut dictum est, ad hoc non habet debitum legale, & strictum, sed ad summum morale.

XXIII. Quæres. An justitia vindicativa sit solum in Judice, seu Principe?

Respondeo, esse quidem in Principe ut vindicante, ac pœnam retribuente; sed esse etiam in reo, recompensante malum, quod egit; & per pœnam, quam sustinet, reddente vel læso, vel Reipublicæ, vel legi justum, & æquivalens.

## QUÆSTIO IV.

*De subjecto Justitiæ.*

EX jam dictis liquet, subjectum *Quo*, & proximum esse voluntatem. Nunc de subjecto *Quod* sermo erit. An scilicet vera, & perfecta justitia sit in Deo erga hominem, vel in homine erga Deum: vel inter patrem & filium, maritum & uxorem, dominum & servum &c.

### DUBIUM I.

*An in Deo erga hominem, & in homine erga Deum sit Justitia vera Commutativa?*

### §. I.

*Aliqua præmittuntur.*

I. NOTO primo: ad veram & strictam commutativam essentialiter requiri, ut reddas jus alteri ita illi debitum; ut si non redderetur, ei fieret injuria: qui enim habet jus activum, seu dominium in aliquam rem, non potest tali re privari, absque eo, quod ex negatione talis rei injuria illi, aut moralis violentia inferatur.

II. Noto insuper: Deum esse universalem omnium Dominum supremo, absoluto, & prorsus independenti, & inabdicabili dominio. De ratione autem pleni, & absoluti dominii est, posse disponere de re, in quam habetur plenum dominium, absque injuria cujusvis alterius: sic enim disponendo, utitur jure suo, & nemini fit injurius.

III. Hinc incipit apparere, quam prudenter dubitetur: an in Deo erga hominem sit vera commutativa justitia. Cum enim, ex una parte, stricta justitia supponat debitum rigorosum, ut non possit negari absque injuria, & ex alia Deus habet dominium ita absolutum super omnia, ut possit de quacumque re absque alterius injuria disponere: videtur difficile, in Deo rigorosam justitiam commutativam erga homines ponere.

IV. Noto tertio: aliquam saltem eminentialem rationem justitiæ, ab omni imperfectione purgatam, & ut solum exprimit providentissimam omnium legum, & Communitatum institutionem: item retributionem æquissimam, tam præmiorum pro meritis, quam suppliciorum pro demeritis, in Deo admittendam esse. Nam *Ps.* 10. *v.* 8. dicit: *Justus Dominus, & justitias dilexit.* 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Et Hebr. 6. v. 10. *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Unde quæstio procedit: an in Deo erga homines detur justitia commutativa stricte sumpta.

V. Suppono enim, in Deo non dari justitiam legalem formaliter, & rigorose. Quia finis intrinsecus justitiæ legalis est, ponere æqualitatem inter debitum legale partis, & jus, quod habet Communitas in bono partium, pro bono communi; sed Deus neque est Communitatis hominum pars, neque tota Communitas hominum habet ullum jus in bona divina: cum divinum jus & dominium sit infinite excellentius omni creato jure: & Deus ex vi sui infiniti dominii possit totam hominum Communitatem, absque ulla ejus injuria, destruere. —— In Deo tamen dicitur aliquid excellentius justitia legali: quatenus sicut Princeps per justitiam legalem omnia ordinat ad bonum Communitatis: ita Deus omnia ordinat ad majorem sui gloriam, & suorum attributorum manifestationem; ideoque leges condit, & earum præcipit observantiam: quod est aliquid altius justitia legali. His ergo suppositis, omissis etiam opinionum varietate, sit

### §. II.

*Resolutio prioris Partis dubii.*

VI. DICO. Non datur in Deo vera & stricta justitia commutativa erga homines. Est expressa mens S. Th. 1. *p.* *q.* 21. *a.* Ubi postquam distinxit duplicem justitiæ speciem, commutativam, & distributivam; de commutativa dicit: *Una est quæ consistit in mutua datione, & acceptione, quæ consistit in emptione, & venditione, & aliis hujusmodi communicationibus, vel commutationibus: & hæc dicitur a Philosopho in 5. Ethic.* (cap. 4.) *justitia commutativa, vel directiva commutationum. Et hæc non competit Deo, quia, ut dicit Apostolus* Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Et 1. Cont. Gent. c. 93. *Justitia* (inquit) *quantum ad commutationis actum Deo competere non potest, cum ipse a nullo aliquid accipiat. Unde . . .* Job. 41. v. 2. *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?*

VII. Ex quibus formatur hæc ratio. Justitia commutativa consistit in commutationibus, & versatur in statuenda æqualitate dati, & accepti: sed inter Deum, & hominem nulla fit commutatio: non enim homo quidquam dat Deo; sed quidquid boni offerat divinæ majestati, illud est Dei, cujus est totum, quod est optimum, ut loquitur Ecclesia, Dominica 6. post Pentecost. imo majori jure est Dei, quam hominis: *Quæcumque* (ait August. in Ps. 137. circa finem) *sunt bona opera mea, abs te mihi sunt: & ideo tua magis, quam mea sunt:* ergo non potest inter Deum, & hominem dari stricta, & rigorosa commutatio dati, & accepti.

VIII. Confirmatur. De ratione justitiæ commutativæ stricte talis est, quod supponat jus, ortum ex actione creditoris in debitorem; sive talis actio sit physica, ut cum dat, qui prius accepit; sive solum moralis ut cum dat, quia alter promisit dare, vel sub pacto, quod det, quia tale pactum inducit debitum: sed repugnat, in creatura dari jus ortum ex actione, sive physica, sive morali in Deum; ergo &c. Min. prob. Quidquid creatura habet, & Deo potest dare, magis est Dei, quam creaturæ, ut dicebamus. Et quamvis aliqua a Deo creaturæ donentur; per talem donationem non eximuntur a dominio Dei, cum sit essentialiter Dominus omnium; & creatura, in quocumque usu rerum sibi donatarum, intime a Deo dependeat; ergo ex eo, quod creatura Deo ista det, non poterit in ea oriri jus, cui debeat Deus, ex justitia stricte dicta, satisfacere. Ex eo enim, quod detur mihi, quod meum est, non poterit oriri in me debitum justitiæ satisfaciendi; cum ergo quidquid creatura potest dare Deo, Dei sit, & sub Dei dominio inabdicabiliter positum, non potest Deum ad illi rependendum ex stricta justitia obligare.

IX. Nec valet dicere, quod esto Deus absolute non possit obligari ex dato a creatura; potest tamen, supposito pacto, & promissione, qua voluit se obligare ad dandum creaturæ, puta, gloriam, si dederit ei sua merita.

Nam contra est. Quia quamvis Deus, ex pacto, se obliget dare creaturæ gloriam, si ei dederit bona opera; ex hoc tamen non surgit in Deo debitum legale, nec in creatura jus rigorosum adversus Deum. Quia cum ex tali pacto Deus non abdicet a se dominium super bona opera creaturæ; hoc enim est inabdicabile, dum creatura affert Deo bona opera, illi dat, quod Dei est; ergo talis datio non dat creaturæ rigorosum jus exigendi ex justitia præmium: nec in Deo surgit rigorosum debitum illud dandi, sed ad summum, debitum decentiæ, qua, supposita promissione, Deus sibi ipsi fit debitor dandi gloriam creaturæ, si creatura dederit illi bona opera. Et propterea hæc bonorum operum datio, supposito pacto, facit quidem, præmium esse creaturæ debitum, sed non facit, Deum esse creaturæ debitorem.

X. Hæc est doctrina S. Thom. 1. *part. quæst.* 21. *art.* 1. *ad* 3. his verbis: *Sic igitur & debitum utendi potest dupliciter in operatione divina. Aut secundum quod aliquid debetur Deo; aut secundum quod aliquid debetur rei creatæ: & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus sapientia, & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat: & secundum hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi, quod sibi debetur. Debitum etiam est alicui rei creatæ, quod habeat id, quod ad ipsam ordinatur: sicut homini, quod habeat manus, & quod ei alia animalia serviant. Et sic etiam Deus operatur justitiam, quando dat unicuique quod ei debetur, secundum rationem suæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo; quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum, secundum ordinem divinæ sapientiæ. Et licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor; quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia in ipsum. Et ideo justitia quandoque dicitur in Deo condecentia suæ bonitatis, quandoque vero retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit An-*



*selmus* (Prosologii cap. 10.) *dicens*, Cum punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit: cum vero parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ condecens est. Quia tamen hanc rem tractavimus, *Tom. I. in 2. Tract. de Merito quæst.* 1. *dub.* 3. ubi ostensum est, qua justitiæ specie Deus retribuat gloriam pro meritis: ideo illuc remitto Studiosum.

### §. II.

*Respondetur objectionibus.*

XI. OBJICIUNT primo. Compensatio meriti ad æqualitatem est actus justitiæ commutativæ stricte talis: sed Deus Justis compensat ad æqualitatem merita; ergo &c. —— Si respondeas, majorem esse veram de compensatione orta ex debito legali, & quæ dat, quia prius accepit; non vero de compensatione quæ ortum habet ex affectu dantis, qualis est compensatio meritorum facta a Deo;

XII. Contra. Illa compensatio oritur ex debito legali, quæ oritur ex pacto, & conventione, per quam alteri jus acquiritur ad exigendam talem compensationem: sed Deus compensat merita Justorum ex pacto, & conventione, qua Justi acquirunt jus ad eam: ideoque vocatur a Paulo, 2. Timoth. 4. vers. 8. *Corona justitiæ*: quam reddet Dominus *justus Judex*: ergo &c.

XIII. Respondeo, neg. min. Non enim Justi, etiam supposito pacto habent strictum jus ad talem compensationem; quia quidquid boni Deo dant, a Deo est: imo Dei est, qui in eis, & cum eis, bonum operatur, ut impleatur in eis, quod promisit. Unde S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 1. ad 3. *Quia* (inquit) *actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex suppositione divinæ ordinationis; non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi: in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.* Hinc gloria dicitur corona justitiæ in communi acceptione, quia est debita Justis ex divina ordinatione: non rigore justitiæ commutativæ, quia Deus eam dispensat, non quia debitor nobis, sed sibi, ut in nobis sua ordinatio impleatur.

Neque idem est de domino, qui ex conventione mercedem dat operario. Nam merces datur operario ex justitia rigorosa: eo quia operam suam locavit, quæ non est sub dominio eum conducentis: ideoque dominus dat operario, quia prius ab eo accepit id, quo indigebat. At Deus bonorum nostrorum non indiget; & quodcumque ei demus, magis suum est, quam nostrum.

XIV. Sed adhuc dices. Non repugnat, quod Deus abdicet a se dominium alicujus rei; ergo nec repugnat in eo vera commutativa justitia. Ant. prob. Deus dum remittit peccatum, abdicat a se dominium, quod habebat, puniendi tale peccatum: & creatura acquirit jus adversus Deum, ne possit illam juste punire, cum ante remissionem tale jus non haberet; ergo &c.

XV. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, Deum remittendo peccatum non abdicare a se dominium, sed cedere juri suo; qui etiam actus dominii est circa creaturam, & non collatio jutis creaturæ adversus Deum. Quod autem Deus, remissa culpa, non possit creaturam punire; non est, quia creatura acquirat jus aliquod adversus Deum, ne puniatur: sed quia rectitudo Dei obligat illum, ne puniat creaturam sine culpa. Dixi tamen, *ne puniat*: quia Deus posset etiam innocentem retrudere in Infernum; sed hæc non esset formaliter pœna, quæ est solum correlativa culpæ: potius enim esset malum naturæ, quod Deus ratione sui supremi dominii in illum induceret.

XVI. Objiciunt secundo. Esto quidquid habet creatura sit sub dominio excellenti, & alto Dei, est tamen sub dominio utili, & basso creaturæ rationalis, quia liberæ: ergo potest hoc dominium sui libertate transferre in Deum; & sic ab eo exigere retributionem ex justitia, quam sine injuria ei denegare non possit. Ant. patet. Nam in creatura est libertas propria distincta a libertate suprema Dei. Cons. probatur a pari. Nam licet omnia bona Civis sint sub dominio alto Communitatis; tamen inter Civem, & Communitatem possunt iniri contractus ex rigorosa justitia: dum Cives dominium particulare, & proprium, quod habent, transferre possunt in Communitatem, & ab illa exigere ex justitia rigorosa satisfactionem; ergo &c.

XVII. Confirmatur. Esto Deus sit Dominus omnium, non repugnat tamen, quod novo titulo fiat Dominus per dationem creaturæ: sicut licet prædium sit sub dominio alto Dei: *Domini enim est terra*; potest tamen vendi ad usus divinos, puta, ad constructionem templi. Et licet voluntas hominis sit sub dominio Dei, adhuc potest ei ab homine donari per votum obedientiæ; ergo &c.

XVII. Respondeo, explicando ant. Sub dominio utili, & basso creaturæ, contento tamen eminenter in Deo, & ab eo dependente, conc. ant. aliter, nego ant. Quidquid enim creatura habet, & omnis titulus, ac libertas ejus eminenter plene in Deo est; quamvis non formaliter, quantum ad imperfectionis modum, quem habet in creatura: & totum potest Deus ad usus extrinsecos sui cultus exigere, absque injuria creaturæ. Licet autem in ea sit propria libertas: hæc tamen est omnimode subjecta divinæ libertati, ac dominio. Quare exemplum de Communitate, ejusque dominio deficiens est. Hoc enim non adeo perfectum ac plenum est, ut possit bona Civis ad omnes usus exigere, sed solum ad usus publicos communis boni. Unde quoad usus particulares inter Communitatem, & Civem possunt iniri contractus: quibus Communitas de rigore justitiæ obligetur. At dominii in Dei ita absolutum, & perfectum est, ut possit ad omnes omnino usus actus creaturæ tamquam suos exigere; & non solum pertinentes ad commune bonum Universi, sed particulares etiam concernentes utilitatem particularem. Ut quando voluit, quod filii Israel relinquentes Ægyptum vasa aurea, & argentea sibi commodata auferrent: & idcirco tale dominium est, ut nil possit ei creatura dari, quod suum non sit.

XIX. Ad Confirm. neg. ant. Ad exemplum de prædio dico, quod esto venditio prædii ad constructionem templi, relate ad ministros, qui ad ejus constructionem emunt prædium, sit actus justitiæ; sicut actus justitiæ est stipendium, quod eis datur pro sustentatione ministri celebrantis Missam: relate tamen ad Deum, cui templum construitur, nulla justitia exercetur. Sicut nec quando per votum offerimus ipsi voluntatem nostram, nil damus Deo, quod ipsius non esset, ideoque votum actus Religionis est, non justitiæ.

XX. Objiciunt tertio. Si creatura actione sua, cujus est domina, nullum debitum stricte tale potest inducere in Deum; fiet, quod neque illud poterit inducere in aliam creaturam: sicque non dabitur rigorosa justitia, non solum inter creaturam, & Deum, sed neque inter unam, & aliam creaturam. Quod probo. Quia enim dominium filii, & servi est subjectum dominio patris, & domini, ut quidquid habet filius sit patris, & quidquid habet servus sit domini; non solum ver. justitia non datur inter filium, & patrem, servum, & dominum, sed neque inter filium, & servum: quia quidquid dat filius est patris, & quidquid dat servus est domini, & neuter dat de suo; ergo similiter cum quidquid habet creatura sit Dei, nequit alteri quidquam dare de suo, & sic non erit justitia in mundo.

XXI. Respondeo, neg. sequelam. Ad probat. disting. Quia est dominium ejusdem ordinis, conc. quia præcise est dominium, nego. Est ergo discrimen inter dominium patris, & domini in filium, ac servum, ex una parte; & dominium Dei in creaturam, ex altera. Cum enim dominium patris, & domini, & dominium filii, & servi sint ejusdem ordinis; respectu ejusdem rei incompossibilia sunt. Nam quemadmodum repugnat, plures causas totales ejusdem ordinis eumdem effectum producere: ita & plures dominos ejusdem ordinis eidem rei plene, ac in solidum dominari. Unde cum pater, & dominus sint plene domini filii, & servi, & bonorum eorumdem, hinc fit, filium, & servum nullo modo esse sui juris, nullumque jus, aut dominium habere: ideoque nullum contractum, qui sit veræ justitiæ, posse celebrare, cum nihil habeant, quod sit suum. At dominium Dei, & creaturæ est diversi ordinis. Unde sicut quod effectus causetur a Deo, ut a causa totali, non tollit, quin causa creata eumdem in suo ordine attingat: ita dominium, quod habet Deus in creaturam, & omnia bona ejus, non tollit, quin creatura in suo ordine verum habeat dominium, sitque sui juris, illudque in aliam creaturam transferre possit.

XXII. Neque hinc inferas, quod si creatura tale habet dominium, ut si sit sufficiens ad obligandam creaturam, sit etiam sufficiens ad obligandum Deum. —— Nam dominium illud, relate ad aliam creaturam, ita facit rem suam in creatura, ut nullo titulo sit sub pleno dominio alterius creaturæ: unde obligatur, ne talem rem sibi usurper, nisi ipsa volente. At relate ad Deum non ita facit rem esse creaturæ, quin etiam, imo magis, sit Dei; & quod Deus potiori jure possit uti illa re, & de illa disponere, tamquam sua absque injuria creaturæ. Sicut effectus productus ab una creatura, esto sit ita illius, ut non sit alterius creaturæ; non tamen dici potest, quod effectus unius creaturæ ita sit illius, ut non sit Dei, & quidem potiori titulo.

XXIII. Neque iterum dicas. Christus sua satisfactione obligavit ex justitia Deum ad remittendam offensam; ergo non repugnat Deo talis obligatio.

Respondeo enim, dist. cons. A Deo homine inducta, conc. cons. a pura creatura, nego cons. Hic autem comparamus Deum ad puras creaturas, nempe, ad personas inferiores creatas; non vero ad Christum, qui cum sit Persona Deo æqualis, non contenta sub dominio Dei; & operationes Christi, ut sunt reflexivæ supra suppositum, ita sint ejus, ut sub hac ratione sint & ipsæ exemptæ a dominio Dei: cumque ex alia parte inter Personam Christi, ut satisfacientem, & Deum, sit, ratione humanæ voluntatis, distinctum jus morale; inde fit, dari aliquod jus in Christo transferibile, & potens obligare Deum. Sed de hoc in Tract. de Incarnatione sermo erit.

### §. IV.

*Resolutio posterioris partis dubii.*

XXIV. DICO. Neque datur rigorosa justitia in homine erga Deum. Sequitur ex dictis in resolutione præcedente. Primo. Quia quæcumque actio hominis non potest inducere in Deo debitum rigorosum. —— Secundo. Quia creatura nequit ponere æqualitatem inter suum debitum, & jus divinum: cum sit jus supremi dominii fundatum in titulo creationis, ei non potest reddi æquale, sicut nec parentibus, quia sunt principium nostri esse. —— Tertio. Quia ut ponatur æqualitas sufficiens ad justitiam, debet poni ex bonis indebitis etiam alio titulo, & quæ non sint sub dominio creditoris: sed quæcumque creatura potest Deo dare, semper in Deo manet jus & titulus ea exigendi, semperque sunt sub dominio inabdicabili ejus, ut supra dictum est; ergo &c.

XXV.

XXV. Dices. Restitutio est actus justitiæ; sed potest ex justitia restitui domino id, quod suum est, puta, si servus aufugiens se ipsum restituat domino; ergo quamvis creatura nil possit Deo, quod non sit Dei, adhuc ex justitia potest illi dare.

Respondeo, dist. min. Id, quod suum est, quatenus fuit ab ejus dominio subtractum, conc. min. Ut patet in casu servi, qui seipsum subtraxit, ne posset uti opera illius. Aliter, nego min. & conseq. Quia Deo neque jus utendi creatura pro libito, neque usus actualis a nulla creatura subtrahi potest.

XXVI. Replicabis. Homo dum peccat subtrahit a Deo supremum jus, quod habet ratione ultimi finis: cum vero convertitur ad Deum restituit Deo rationem ultimi finis; ergo hoc facit ex justitia sicut servus dum se restituit domino, a quo aufugerat.

Respondeo, omisso antecedente pro prima parte (non enim peccator subtrahit a Deo jus ultimi finis effective, sed affective, &c) insuper Deo hoc permittente) distinguo secundam partem. Restituit &c. ex propriis: nego ant. ex sibi donatis, & sub dominio Dei existentibus, conc. antec. Actus enim, quo quis ad Deum convertitur, est donum Dei: & ideo nequit rigorosam justitiam fundare.

Nec dicas. Conversio est homini libera; ergo est sub pleno, & absoluto dominio ejus. —— Nam respondeo, esse quidem sub dominio hominis, quatenus potest eam ponere, vel non ponere; non vero quatenus possit eam a dominio Dei subtrahere. Quare homo habet quidem, ex quo liber est, proprium jus, & dominium sui actus, non tamen independens, sed subordinatum Deo.

## D U B I U M II.

*An in Deo detur justitia distributiva erga homines?*

### §. I.

*Resolutio Dubii.*

I. Dico. In Deo datur vera justitia distributiva erga homines. Est expressi mens S. Thom. 1. *part. quæst.* 21. *art.* 1. Ubi postquam justitiam divisit in commutativam, & distributivam; & commutativam a Deo relegavit, de distributiva sic prosequitur: *Alia, quæ consistit in distribuendo, & dicitur distributiva justitia, secundum quod aliquis gubernator, vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cujuscumque multitudinis gubernata demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante: ita ordo universi, qui apparet, tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis demonstrat Dei justitiam. Unde dicit Dionys.* 8. *cap. de Divin. Nomin. Oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam, quod omnibus tribuit propria, secundum uniuscujusque existentium dignitatem; & uniuscujusque naturam in proprio servat ordine, & virtute.* Quibus S. Thom. veram justitiam distributivam in Deo asserere, sic evinco. Nam in eo sensu asserit Deo justitiam distributivam, quo ab ipso rejicit commutativam: sed strictam commutativam a Deo rejicit, ut patet ex ratione, quam ibi adducit; ergo dum Deo asserit justitiam distributivam, ei asserit veram, & stricte talem.

II. Hoc magis demonstratur, exponendo discrimen inter debitum justitiæ vere commutativæ, & distributivæ. Quod illud oritur ex actione creditoris in debitorem: nam ad commutationem requiritur, ut detur alteri, quia dedit, vel sub pacto, quod det, vel quia daturus est. Et ideo justum commutativum, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 61 *art.* 4. idem est, ac *Contrapassum*; in quantum in commutatione datur actio, & repassio in alterutrum. At debitum justitiæ distributivæ, licet sit ad alterum, prout requiritur ad justitiam stricte dictam; hoc tamen requiritur, quod sit ab altero, idest quod oriatur ex actione alterius qui dedit, aut daturus est: sed oriri potest ex recta voluntate, ac dispositione ejus, qui tale debitum implet. Ut patet in Communitate acceptante aliquos in sui commercium, & convictum: ex hac enim libera, & voluntaria acceptatione oritur in Communitate debitum & in acceptatis jus, ut secundum eorum dignitatem fiat eis distributio bonorum communium, quamvis nil egerint, aut acturi sint erga Communitatem.

Sic ergo Deus, antequam creaturas creando illas assumeret ad sui commercium, & quasi societatem, nihil illis debebat: & ideo prima rerum creatio absque omni debito justitiæ fuit. At ex suppositione, quod creaturas ad sui commercium, & societatem, dando eis principium sui esse, assumserit, & constituerit se earum caput, & gubernatorem, voluerit que hoc Universum conditum conservare; ex hac voluntate ortum est in Deo debitum, tum respectu Universi, ut ei partes congruas, idest, elementa, dispensaret; tum respectu partium ejusdem, ut una alteri provideat, ut dentur alimenta animalibus, & quod omnia secundum suam dignitatem perficiantur suis accidentibus, & proprietatibus: ut patet exemplo supra allato Communitatis ad sui consortium aliquos acceptantis.

Quia vero etiam ad majorem dignificationem partium conducit, quod sint ornatæ meritis, & quod præmia merentibus proponantur: inde est, quod ad sapientiam Dei gubernantis pertinet, eas accendere ad meritum, eisque meritis sic exornatis, præmia promissa largiri. Licet autem in humanis retributio meritorum spectet ad justitiam commutativam; quia qui merita retribuit, dat, quia prius accepit: attamen loquendo de Deo, ait D. Thom. in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3. ad 4. *In redditione præmii ad merita magis servatur forma distributionis, cum ipse unicuique secundum opera sua reddat; quam commutationis, cum Deus a nobis nihil accipiat.* Et ad 4. *Deus* (inquit) *non efficitur debitor nobis, nisi forte ex promisso, quia ipse bona operantibus bona repromisit. Et ideo non est inconveniens, si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est. Vel dicendum, quod in justitia commutativa ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, quod meretur; ut patet in illis qui operationes suas locant in servitium aliorum. Sed in justitia distributiva non requiritur ratio debiti ex parte ejus, qui distribuit; potest enim ex liberalitate aliquo distribuere: in quorum tamen distributione justitia exigitur, secundum quod diversis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit.* Et hoc modo Deus retribuit nostris operibus justitia distributiva; quia nostris operibus nec juvatur, nec juvari potest: quod ad veram justitiam commutativam acquiritur; ut docet idem S. D. ibidem *ad* 5. Recolantur quæ diximus *Tom. I. in* 1. 2. *tract. de Merito quæst.* 2. *dub.* 3. His prænotatis.

III. Probo primo Assertionem sic. Ubi datur congrua distributio unicuique, secundum suam dignitatem, ibi datur justitia distributiva stricte talis; ordo enim congruus familiæ arguit justitiam distributivam in gubernante illam: sed in Deo datur congrua distributio, qua dispensat, tum toti Universo, tum partibus ejus, tum in naturalibus, tum in voluntariis; ea, quæ illis congruunt, secundum suam dignitatem: ergo &c. Hæc est ratio S. Thom. ut supra.

IV. Secundo probo. Si congrua distributio, qua Deus dispensat unicuique, secundum suam dignitatem, non ostenderet in eo justitiam distributivam rigorosam; hoc esset, ob aliquas imperfectiones, quas justitia distributiva vere talis secum traheret: sed has, esto secum trahat, ut in creaturis particulariter posita, eas tamen non includit, secundum rationem communem, prout ponitur in Deo; ergo &c. Min. docet S. Thom. in 1. *Contra Gent. cap.* 93. Ubi postquam dixit, Deo non competere justitiam commutativam, bene tamen distributivam; quia omnibus secundum suam dignitatem distribuit, secundum illud, *Matthæi* 25. dedit *Unicuique secundum propriam virtutem*: dicit, quod actiones, circa quas virtutes sunt, considerari possunt, secundum quod ad res humanas contrahuntur: & secundum hunc modum Deo convenire non possunt. Et possunt sumi prout *in sua communitate accipiuntur*: & sic *possunt etiam divinis rebus aptari. Sicut enim homo rerum humanarum, ut pecunia, vel honoris distributor est: ita & Deus omnium bonitatum Universi.* Unde concludit, quod divinæ virtutes nostrarum exemplares sunt: *Nam quæ sunt contracta, & particulata, similitudines quædam absolutorum entium sunt: sicut lumen candelæ se habet ad lumen Solis. Alia vero virtutes, quæ propriæ Deo non conveniunt, non habent exemplar in divina natura, sed solum in divina sapientia &c.* Si ergo justitia distributiva habet exemplar in divina natura, formaliter absolute sumpta, & secundum rationem communem in Deo est. Alioquin cum in eo non sit justitia commutativa proprie, si neque esset distributiva, nulla veræ justitiæ species in Deo esset, quod falsum est, imo absurdum.

### §. II.

*Respondetur contrariis.*

V. Primo arguitur. Justitia plures includit imperfectiones. Primo. Facit Deum debitorem, seu obligatum alteri extra se; ex quo sequitur subjectio in Deo. Arguit translationem dominii in alterum: nam per distributionem res a dominio distribuentis transferuntur in dominium eorum, quibus distribuuntur. —— Tertio. Arguit obligationem distribuentis, ut proportionate ad dignitatem eorum; quibus fit distributio: distribuat bona: quod derogat supremo dominio Dei, qui de omni re potest disponere, prout vult, absque alterius injuria.

VI. Respondeo, nihil ex allatis sequi. Non sequitur, Deum esse debitorem creaturæ, sed sibi; nec ab alio extra se obligari, sed a sua summa rectitudine, & fidelitate: qua sibi ipsi debitor est, ut impleat, quod promisit; & ut in creaturis impleatur id, quod sua bonitas, & sapientia eis conferre disposuit, ut dictum est supra.

Hinc nec sequitur, Deum subjici alteri a se, sed potius alia Deo subjici, ut in eis divina ordinatio impleatur. Dum enim reddit creaturæ, quod est ei debitum, ipse non ordinatur ad creaturam; sed potius creatura ordinatur ad ipsum, ut in ea faciat, quod promisit. Et sicut dum Deus obligatur ex promissione, non subditur alteri, quia obligatio non oritur ex altero, sed a se: ita nec alteri subditur, dum implet, quod promisit.

Neque dicas, justitiam necessario esse ad alterum; & ideo Deum per justitiam debere ordinari ad alterum. —— Nam dico, justitiam exigere quidem, quod sit ad alterum terminative, non vero, quod sit ad alterum causaliter, sive ab altero. Quod patet in exemplo Communitatis voluntarie assumentis aliquem in numerum Civium: quæ eo ipso obligatur ei conferre bona Civium, esti hæc obligatio non oriatur ex actione Civis erga ipsam. Vide S. Thom. supra relatum 1. *part. quæst.* 21. *art.* 1. *ad* 3.

VII. Neque sequitur translatio dominii in alterum. Hoc enim primo non est de essentia justitiæ distributivæ; huic enim sufficit, ut conferatur dominium secundum capacitatem ejus, cui confertur: ut patet in Principe distribuente bona in feudum, vel emphyteusim, qui sibi dominium integrum, vel saltem directum reservat. —— Secundo. Dato, quod justitia distributiva apud homines translationem dominii requireret; quia dominia creata, utpote ejusdem ordinis, nequeunt penes duos residere in solidum respectu ejusdem rei; sicut neque idem effectus potest a duplici causa totali ejusdem ordinis procedere: attamen sicut idem effectus potest a duplici causa diversi ordinis, a Deo, & creatura procedere: ita eadem res potest esse sub dominio creaturæ, quin desinat esse sub dominio Dei.



VIII. Neque sequitur, Deum distribuentem alligari ab aliquo extra se; sed alligari sibi, & suæ rectitudini, quæ poscit, ut cuique secundum proportionem distribuat. Neque enim dominium supremum Dei petit amplitudinem oppositam suæ rectitudini, seu quod disponere possit contra ordinem suæ sapientiæ. Sed sicut potentia peccandi non est potentia, sed defectus potentiæ: ita potentia ad inordinate distribuendum, non est dominium, sed defectus dominii.

IX. At dices. Si ita est: cum Deus non possit defectuose, aut inordinate res distribuere; neque de potentia sua absoluta poterit creaturæ denegare, quod ei convenit, ac debetur? & sic neque poterit Universo denegare partes debitas, homini suas proprietates, merentibus præmia: imo habenti solam dispositionem ad gratiam, utpote ad gratiam coaptato, deberetur gratia sanctificans ex justitia, quæ omnia videntur falsa.

X. Respondeo, Deum, sicut quemcumque alium distributorem, attendere non solum ad bonum, & ad debitum hujus, vel illius particularis; sed maxime ad bonum, & debitum commune: & ab isto ita obligari, ut propter illud procurandum, & implendum, bonum, & debitum particulare posponi debeat. Hoc supposito, dico. Quod si Deus velit attendere ad bonum, & debitum privatum creaturæ, & ad conducentiam suæ bonitatis; debet illi distribuere, quæ suæ naturæ conveniunt. At si attendat ad bonum divinum, & ad altiores suæ sapientiæ fines; ad eamdem Dei justissimam dispositionem pertinet, naturæ ordinem immutare, & creaturam bonis, cæteroquin ei debitis, absque ulla injuria privare. —— Ad id, quod addit de dispositione ad gratiam, dico hominem per suos actus disponi ad gratiam dispositione physica, non morali, & meritoria; ideoque gratiæ infusionem ex vi illius non esse debitam, sed novum beneficium, ut in *Tract. de Gratia*.

XI. Secundo arguit: Falsum est, debitum justitiæ commutativæ semper oriri ex actione creditoris in debitorem, debitum autem justitiæ distributivæ non; ergo &c. Ant. pro prima parte probatur. Ex simplici promissione acceptata oritur jus commutativum in promissario: & tamen nullam habet prævium actionem in promittentem. —— Pro secunda parte probatur. Etiam in justitia distributiva debitum oritur ex aliquo se tenente ex parte creditoris; nempe, ex ejus dignitate, ob quem habet jus, ut proportionate ad illam sibi distribuantur bona.

XII. Respondeo, neg. ant. Pro utraque parte. Ad prob. primæ partis dico, non esse certum, quod promittens teneatur ex justitia commutativa dare, quod promisit, & non potius ex fidelitate. Sed quidquid sit de hoc, dico, debitum illud justitiæ oriri, quia ex promissione cessat in promittente jus in rem promissam, vel donatam: at ex promissione non cessat in Deo jus in tem promissam, imo dem donat, non transfert, sed retinet dominium, ut jam diximus.

Ad secundam partem dico, quod si sermo sit de creatura in ordine ad Deum, tota ejus dignitas habetur ex largitione divina. Unde D. August. *lib. de Grat. & lib. Arb. cap.* 6. infert: *Si ergo Dei dona sunt merita tua, non Deus coronat merita tua tamquam merita tua, sed tamquam dona sua.* Si vero sermo sit de creatura in ordine ad distributorem creatum: adhuc dicimus, debitum oriri solum passive ex dignitate eorum, quibus fit distributio; active autem ex æqualitate ipsius distribuentis, nec non ex suppositione, quod aliquos acceptaverit in societatem suorum, ut diximus. Unde in iis, quibus fit distributio, non datur actio ad bona distribuenda, nec sibi ea possunt per restitutionem, aut tacitam compensationem vindicare.

XIII. Tertio arguitur. In Deo non sunt aliæ virtutes morales; ergo nec justitia.

Respondeo cum S. Thom. 1. *part. quæst.* 21. *art.* 1. *ad* 1. aliquas esse virtutes morales, quæ sunt *Circa passiones, sicut temperantia circa concupiscentias, fortitudo circa timores, & audacias, mansuetudo circa iram. Et hujusmodi virtutes Deo attribui non possunt, nisi secundum metaphoram. Quia in Deo neque passiones sunt .... neque appetitus sensitivus, in quo sunt hujusmodi virtutes, sicut in subjecto, ut dicit Philosph. in* 3. *Ethic.* (cap. 10.) *Quædam vero virtutes morales sunt circa operationes, ut puta circa actiones, & sumptus, ut justitia, & liberalitas, & magnificentia, quæ etiam non sunt in parte sensitiva, sed in voluntate. Unde nil prohibet, hujusmodi virtutes in Deo ponere, non tamen circa actiones civiles, sed circa actiones Deo convenientes: ridiculum est enim secundum virtutes politicas Deum laudare, ut dicit Philosophus in* 10. *Ethic.* (cap. 8.)

XIV. Quarto arguitur. Ille, qui facit omnia pro libito suæ voluntatis, non operatur secundum justitiam: sed Deus, ut ait Apostolus, ad Ephes. 1. vers. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ergo non operatur ex justitia.

Respondeo, dist. maj. Voluntatis justæ, & rectæ, nego major. aliter, conc. maj. Ita D. Thom. citato loco ad 2. Cum enim voluntas Dei semper recta: & justa sit, id, *Quod Deus secundum suam voluntatem facit, semper juste facit. Sicut & nos, quod secundum legem facimus, juste facimus: sed nos quidem secundum legem alicujus superioris. Deus autem sibi ipsi est lex*: nimirum, ratio suæ sapientiæ, quæ ipsi est lex justitiæ.

XV. Petes: Quam justitiam servet Deus in retributione suppliciorum?

Respondeo. Deum in retributione suppliciorum pro demeritis, sicut in retributione Gloriæ pro meritis, servare proprie justitiam distributivam; cui tamen aliqua species commutationis admiscetur. Prior pars prob. Quia Deus sicut in retributione præmii pro meritis non attendit æqualitatem quantitativam, cum præmiet ultra condignum, sed proportionis, ut qui plus meruit, plus præmietur: ita in retributione suppliciis pro demeritis, cum semper puniat citra condignum, non servat æqualitatem quantitativam, sed proportionis, ut plus puniatur, qui gravius peccavit. Unde S. Thom. *in* 4. *dist.* 46. *q.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. ait: *Æqualitas ista proportionalitatis est, non æqualitatis; & attendenda est, non secundum comparationem pœnæ ad culpam, sed secundum proportionem duorum peccantium ad duas pœnas: ut scilicet, qui plus peccavit, plus puniatur, & secundum quod exceditur in peccato, sic excedatur in pœna.* —— Secunda etiam pars probatur. Quia justitia pure distributiva non attendit, quid alter egerit, sed solam conditionem personæ: Deus autem in retributione præmii, vel pœnæ attendit, quid homo bene, vel male egerit: ergo in retributione præmii, vel pœnæ quemdam modum justitiæ commutativæ servat. Sed de hoc egimus, *Tract. de Merito, Q.* 1. *Dub.* 3.

## D U B I U M III.

*An inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, Dominum & Servum detur perfecta Justitia?*

### §. I.

*Resolvitur de Patre erga Filium invicem.*

I. Noto primo: filium duplici jure dici posse esse subjectum patri, vel esse aliquid patris. Primo, jure naturæ, & titulo generationis, qui perpetuo durat; & ex lege pietatis filium obligat ad debitam reverentiam, & obsequia patri præstandi. Secundo, jure Civili, quo filius ante emancipationem non permittitur esse sui juris, sed constituitur sub patria potestate: & hoc jus est temporaneum, quousque scilicet filius emancipetur, & sui juris efficiatur.

II. Noto secundo: quod pater, & filius (idem dico de marito & uxore, domino & servo) spectari possunt, vel in ratione patris, & filii, vel in ratione hominis: in quo sensu distinctæ personæ sunt, aliquam jurium, & bonorum diversitatem habentes. Esto enim filius, qua filius, aliquid patris sit, & non sit proprie alter ab illo: attamen, qua homo est, vere alius a patre est, habens proprium jus, tum suprà propriam simam, tum ex dispositione juris super bona castrensia, vel quasi castrensia.

His prænotatis quæstio procedit: an inter patrem & filium, qua talem, detur vera justitia, seu, an jus paternum sit verum & proprium jus: & an hæc detur inter patrem & filium, qua homo est. Et quidem in prima quæsiti resolutione omnes arbitror convenire. In secunda vero diffident etiam Nostri.

III. Dico primo. Quantum ad naturalia jura, & spectato filio, ut filius est, non potest inter ipsum, etsi emancipatum, & patrem dari vera & stricta justitia. Est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 57. *a.* 4. his verbis: *Patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum. Et propter hoc non est ibi simpliciter justum, sed quoddam justum, scilicet paternum.* Cujus rationem dat ibi, dicens: *In rebus humanis filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars ejus.* Hinc probo sic. Inter patrem & filium, ut filius est, & jure naturæ spectato, non adest alteritas, & æqualitas ad strictam rationem justitiæ requisita; ergo &c. Ant. pro prima parte prob. Quia filius, ut filius, & jure naturalis generationis spectatus, consideratur, ut pars patris ab illo decisa, & ut effectus ipsi naturali jure subjectus, & quidquid est filii, patris est, ergo deest alteritas ad veram & strictam justitiam requisita. Secunda etiam pars probatur. Nam esse, quod filius accepit a patre, præstantius est obsequio, quod illi possit exhiberi a filio; ergo inter patrem & filium non potest dari æqualitas justitiæ: sed filius obligatur ad obsequia Patri præstanda stricto jure, nempe, pietatis,

IV. Confirmatur primo. Jus naturale, quod habet pater erga filium, non est adæquabile per quodcumque, quod ei possit exhiberi a filio; nam jus patris fundatur in communicatione esse, & vitæ naturalis: sed nil potest a filio patri exhiberi, quod æquivaleat esse, & vitæ naturali; ergo &c. —— Confirmatur secundo. Obsequia, quæ a filiis redduntur parentibus, pertinent ad virtutem pietatis: sed pietas non est justitia proprie, & simpliciter talis, sicut nec religio, gratitudo &c. quamvis sint virtutes justitiæ annexæ, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. *Quia parentibus non potest secundum æqualitatem recompensari, quod eis debetur*; ergo &c.

V. Sed dices primo. Non minus requiritur alteritas ad amicitiam, quam ad justitiam: sed inter patrem & filium datur amicitia, ut ex D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 8. & 9. ergo &c.

Secundo. Inter patrem & filium perfecta est injuria, & injustitia: nam gravissime peccaret filius contra justitiam, si patrem occideret; ergo etiam inter illos est perfecta justitia: injustitia enim dicit violationem justitiæ vere talis.

Tertio. Inter Patrem & Filium divinum est major unitas, quam inter patrem & filium in humanis: sed inter Patrem, & Fi-

& Filium divinum esse potest vera justitia. Unde S. Thom. 3. *p. q. 1. art. 2.* docet, Filium Dei satisfecisse Petri de rigore justitiæ; ergo &c.

Quarto. Si inter patrem, & filium non est justitia, quia filius est aliquid patris; neque erit inter duos fratres, quia uterque portio patris est: sicut neque est inter dexteram, & sinistram, quia ejusdem corporis partes sunt.

VI. Respondeo ad primum, primo, dist. maj.; alteritas suppositorum, conc. maj.; jurium, nego maj.; amicitia enim non in distinctione jurium fundatur, sicut justitia; sed potius in unione, & similitudine morum, quæ inter patrem & filium maxime datur: unde amicitiam magis esse inter conjunctos, quam extraneos, *Tom. præcedente* docuimus. —— Respondeo secundo, dist. min.; amicitia per charitatem, conc. min.; amicitia enim charitatis non respicit filium, ut filium, sed ut hominem consocium in beatitudine, ut dictum est. *Tom. præcedente*; amicitia naturalis, nego min.; hæc enim inter patrem, & filium non datur: quia pater, dum amat filium, amat illum quasi seipsum, vel tamquam aliquid sui. —— Respondeo tertio, dari quidem amicitiam inter patrem, & filium quatenus homo est, non tamen quatenus filius est: quæ responsio infra explicabitur.

VII. Ad secundam primo, neg. ultimam cons. Nam injustitia est quidem violatio justitiæ, sed non necessario perfectæ: sicut enim minus requiritur ad malum, quam ad bonum; ita minus requiritur ad perfecte injustum, quam ad perfecte justum. —— Deinde dico, injuriam irrogatam patri esse injustitiam, & quidem majorem, quam injustitiam, quæ datur inter duos cives; non quia inter patrem, & filium sit vera justitia: sed quia injustitia erga patrem violat unitatem, quæ majus quiddam est, quam æqualitas, & consequenter violat majus debitum. Quamvis enim jus paternum habeat minus de ratione justitiæ: non tamen habet minus de ratione debiti, sed magis: magis enim jure naturali filius obligatur patri, & pater filio, quam illi, inter quos est vera justitia, sibi invicem obligentur. Et propterea injuria illata patri, specialis, & gravior injustitia est; quia violat unitatem, & debitum pietatis, quod omni vera justitia major est: sicut qui directe offendit Deum, gravioris injustitiæ reus est: quia licet inter Deum, & creaturam vera justitia commutativa non sit, violat tamen majus debitum.

VIII. Ad tertium, si sermo sit de Patre, & Filio divino subsistente in natura divina, nego min. Nam inter eos sic sumptos nulla est justitia, & nullum debitum, sed in utroque idem omnino indivisum jus. Si vero sermo sit de Filio divino in natura assumpta, conc. min. Sed in hoc sensu Filius divinus ratione naturæ assumptæ habet proprium & distinctum jus, & independens a jure paterno; ratione cujus potuit ei de rigore justitiæ satisfacere, ut supra tetigimus, & suo loco dicetur.

Ad quartum, conc. totum. Nam inter duos fratres, qui vivunt sub cura parentum, non est proprie justum, ut habetur *l. Frater a fratre ff. de Conditione indebiti.*

IX. Dico secundo. Inter patrem, & filium in bonis juræ exceptis, & antequam filius sit emancipatus, non datur vera, & stricta justitia. Probatur. In bonis, in quibus filius non est sui juris, sed subjectus patriæ potestati, non habet filius alteritatem juris requisitam ad veram justitiam: sed in bonis jure non exceptis, qualia sunt ea, quæ non sunt castrensia, aut quasi castrensia, filius antequam emancipetur, ex dispositione juris est subjectus patriæ potestati; ergo &c.

X. Sed dices. Filius non emancipatus tenetur ex justitia patri restituere, quæ de bonis paternis furto surripuit; & rapiendo ea, quæ sunt patris, vere est injustus; ergo inter patrem & filium vera est justitia, quia restitutionis actus, actus veræ justitiæ commutativæ est. —— Distinguo tamen consequens. Inter patrem & filium, quatenus filium, nego cons.; quatenus surripiendo patri bona, eum suo dominio spoliavit, ac se ipsum a jure, & dominio patris exclusit, conc. cons. Sed hoc non est contra nos. Nam etiam servus, & uxor, si aufugerint, tenentur ex justitia reverti, ac se tradere domino, & marito; quin, ut dicemus, inter servum, & dominum, uxorem, & maritum vera justitia sit. Immo si filius tenetur ex justitia restituere, quæ rapuit patri; signum est, in filio nullum esse jus distinctum, & independens a jure patris: ac proinde inter istos non esse alteritatem jurium requisitam ad justitiam.

XI. Dico tertio. Inter patrem & filium emancipatum, & quoad bona castrensia, vel quasi castrensia dari potest perfecta justitia. Prob. Quia filius emancipatus sui juris est, & quoad Civilia exemptus a jurisdictione patris: bona autem castrensia, seu quasi castrensia, secundum leges civiles, propria sunt filii, & filius super ea habet jus proprietatis distinctum, ac independens a jure patris; ergo quoad ista habet alteritatem, & æqualitatem sufficientem ad justitiam: adeo ut inter filium emancipatum, sicut & quoad bona castrensia, vel quasi castrensia, & patrem, iniri possint contractus emptionis, venditionis &c. Quia in his non consideratur ut filius, & ut aliquid patris; sed ut alius homo habens distinctum jus, & dominium super sua bona.

Ita S. Thom. 2. 2. *quæst. 57. art. 4. ad 3.* dicens: *Filius in quantum filius est aliquid patris, & similiter servus in quantum servus est aliquid domini. Uterque autem, prout consideratur ut quidam homo, est aliquid secundum se subsistens ab aliis distinctum: & ideo in quantum uterque est homo, aliquo modo de eis est justitia: & propter hoc etiam aliqua leges dantur de his, quæ sunt patris ad filium, vel domini ad servum: sed in quantum uterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio justi, vel juris.* Neque per hoc, quod dicat, quod inter patrem, & filium in quantum uterque est homo *aliquo modo* est ad eos justitia, diminuit veram, ac propriam rationem justitiæ inter eos: sed solum indicat, hoc tantum modo, idest, qua homines sunt, esse inter eos justitiam; non autem secundum omnem modum. Et quod hæc sit mens D. Thom. constat ex ultimis ejus verbis, nempe: *Sed in quantum uterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio justi, vel juris.* Si enim secundum hoc deficit inter eos perfecta ratio justi; ergo secundum rationem hominis non deficit: alias S. D. nihil plus daret inter patrem, & filium in ratione hominis, quam inter illos daret in ratione patris, & filii consideratos.

## §. II.

*De Marito & Uxore, Domino & Servo.*

XII. NOto: quod vir, & uxor possunt inter se comparari dupliciter. Uno modo, in ordine ad usum matrimonii, in exigendo scilicet, ac reddendo conjugale debitum. Alio modo, in ordine ad administrationem bonorum; quæ rursus sunt duplicia: alia enim sunt communia, alia viro, & uxori propria.

XIII. Dico primo. Inter virum, & uxorem, quoad redditionem debiti matrimonialis, datur vera, & stricta justitia. Ita Sanct. Thom. 2. 2. *quæst. 57. art. 4.* his verbis: *Uxor autem, quamvis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum, sicut ad proprium Corpus, ut patet per Apostolum, ad Ephes. 5. tamen magis distinguitur a viro, quam filius a patre, vel servus a domino: assumitur enim in quamdam socialem vitam matrimonii. Unde Philosophus dicit* (5. Ethic. cap. 6.) Inter virum, & uxorem plus est de ratione justi, quam inter patrem, & filium, vel dominum, & servum.

Probatur autem. Qui reddit alicui debitum ex mutuo contractu, & traditione ortum, reddit illud ex perfecta justitia: sed vir, & uxor in matrimoniali actu reddunt sibi invicem debitum proprii corporis, ortum ex contractu matrimoniali, quo uterque conjux tradidit alteri corpus suum, ad finem suscipiendæ prolis. Unde Apostolus, 1. Cor. 7. vers. 3. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; ergo &c. Ubi enim mutuum est debitum, & mutuum jus exigendi, ibi vera justitia est.

XIV. Dices. Major est unitas inter virum & uxorem in ordine ad actum matrimonialem, quam inter patrem & filium; cum sint *Duo in carne una*, Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. & 6. sed inter patrem & filium non datur vera justitia; ergo &c.

Respondeo, negando maj. loquendo de unitate juris, & morali, quæ sola veræ justitiæ obest. Dicuntur autem vir, & uxor una caro per unionem, qua fiunt velut unum corpus, unus homo, unum totale principium generationis. In ordine tamen ad actum conjugalem habent alteritatem, & æqualitatem jurium, & debiti: aliud est enim jus uxoris, ejusque debitum erga virum: aliud jus, & debitum viri erga uxorem. At in filio, qua tali, nullum est jus distinctum, & juri paterno non subordinatum; cum sure naturæ filius sit aliquid patris, & portio ejus.

XV. Dico secundo. Inter virum, & uxorem, in bonis utrique propriis, dari potest vera justitia. Probatur. In aliquibus enim bonis vir, & uxor habent perfectum dominium invicem independens; ergo in istis habent alteritatem sufficientem ad justitiam. Bona autem, in quæ uxor habet dominium independens a viro, sunt bona paraphernalia; ea nempe, quæ cum nupsit, sibi reservavit, de quibus potest independenter a marito veros contractus facere. Item bona sibi obvenientia per hæreditatem illius dispositioni relictam, per donationem &c. Horum enim habet perfectum dominium, & administrationem; adeo ut possit, etiam repugnante marito, ea alienare, in eleemosynas largiri, aut alio modo disponere: ut tradunt Sylvester V. Eleemos. *Quæst. 5. §. 2.* Navarrus *Cap. 17. num. 155.* & alii. —— Similiter ex pacto, & conventione, etiam in bonis mariti juri subjectis. Si enim vir cum uxore conveniat; ut suo opere sibi reddat quotidie tantum, & si amplius lucretur, illud facit suum; illud amplius sic erit sub dominio uxoris, ut de illo plene possit disponere. Et ratio est: quia personæ, inter quas pactiones fiunt, censentur jam personæ moraliter diversæ, & diversum jus habentes.

Immo ex vi talium pactionum, & conventionum etiam inter filium, & patrem, imo inter servum, & dominum, dari potest vera justitia. Ut si fiat conventio, quod servus reddat pro suis laboribus quotidie decem, & si amplius lucretur, illud sit suum: De quo lucro rursus alia pacta, & conventiones iniri possunt. Et hoc modo plerumque servi suam redimunt libertatem. Sunt etiam alii casus, in quibus mulier dominium habet independens a viro, quos refert, inter alios, P. Gabriel a S. Vincentio *de Just. & Jure, Disp. 1. Q. 3. §. 3.*

XVI. Dico tertio. In bonis communibus, & quantum ad dispensationem, & gubernium domus inter virum, & uxorem non datur stricta justitia. Tum quia: teste Apostolo, 1. Cor. 11. vers. 3. *Caput mulieris est vir.* Et mulieres subditas debere esse viris, docet idem, ad *Ephes. 5. v. 22. Coloss. 3. v. 18.* Et S. Petrus *Epist. 1. cap. 3. 1.* ergo inter virum, & uxorem non est æqualitas ad veram justitiam requisita. —— Addo: quod S. Thom. hac *q. 57. art. 4.* dicit, quod *Cum vir, & uxor habeant indivisum relationem ad domesticam Communitatem, ut patet in 1. Politic.* (c. 3.) *ideo inter eos non est vinum simpliciter politicum justum, sed magis justum œconomicum.* Et *q. 58. art. 7. ad 3.* ait: *Quod domestica multitudo, secundum Philos. in 1. Polit.* (c. 3.) *distinguitur secundum tres conjunctiones; scilicet uxoris, & viri, patris, & filii, hominis, & servi, quarum personarum una est quasi aliquid alterius. Et ideo ad hujusmodi personas non est simpliciter justitia, sed quædam justitiæ species, scilicet œconomica, ut dicitur in 5. Ethic.* (c. 6.)

His addi potest ratio. Nam vir, & uxor, in ordine ad gubernationem familiæ, se habent in una persona unitate juris, & quoad communia bona uxor est subordinata viro; ergo inter illos non potest esse vera justitia, ex defectu æqualitatis; quamvis inter eos quædam æqualitas proportionis statui possit. Sicut enim uxor debet viro parere, & auxiliari: ita vir debet uxorem regere, ei providere, & necessaria præstare.

XVII. Superest modo resolvere, an vera justitia dari possit inter servum, & dominum. Non loquimur autem de servis conductitiis, qui pro mercede, ad certum tempus, operam suam locant cum libertate, si placuerit, transacto illo tempore, alteri operam suam locandi, vel etiam nemini. Inter hos enim, & dominos certo certius est, veram strictamque justitiam dari posse. De servis domino suo mancipatis, ideoque dictis mancipiis, qui nullius juris sunt, fermo est in præsenti; quales erant antiquitus victi, & bello capti, & modo Turcæ a Christianis capti, empti &c. qui continuo servitio addicti, omnique jure privati censentur.

XVIII. Dico. Inter dominum, & mancipium, qua tale, non datur stricta justitia. Ita S. Thom. hac *q. 57. art. 4.* ratio est. Quia inter dominum, & mancipium non datur alteritas jurium, cum mancipium proprii juris non sit; & quidquid mancipium, qua tale, potest reddere domino, domini sit: Unde ait S. Thom. cit. *Servus est aliquid domini, quia est instrumentum ejus*; ergo &c.

Dixi inter dominum, & servum, *qua talem*, non dari veram justitiam. Nam si dominus, & servus considerentur quatenus homines sunt, habent sua distincta jura. Servus enim quatenus homo est, habet jura famæ, honoris, vitæ, & quorumdam civilium contractuum. Unde dominus graviter infamans servum, ei de redintegratione famæ ex justitia obligatur: & si servum occideret, teneretur ex justitia reparare damna inde secuta ejus filiis, uxori &c. Similiter supposita conventione, & pacto inter servum, & dominum dari possunt contractus, ut supra, *n. 15.* dicebamus. Pariter esto attento jure civili servi non possint non matrimonium inire, *leg. Cum Ancillis. Cap. de Incestis*: ture tamen Canonico servi contrahere possunt, etiam invitis dominis. *Cap. dictum est 29. Q. 2.* etsi servus, contracto matrimonio, non eximatur a consuetis obsequiis domino præstandis.

---

## QUÆSTIO V.

*De Jure, & Dominio.*

NON loquimur de jure passivo, seu justo, neque de jure sumpto pro lege: de hoc enim egimus, *Q. 1. Dub. 1.* sed loquimur de jure activo, quod quis habet supra alterum, seu de potestate; cujus species est dominium, seu possessio.

### DUBIUM I.

*Quid sit Jus Activum, quid Dominium, & Quotuplex?*

### §. I.

*Varia Juris Activi Acceptiones.*

I. REcolenda est divisio superius tradita, *Q. 1. Dub. 1. §. 1. n. 5.* juris in *jus in re, & jus ad rem*. Jus in re, seu reale, ut ibi diximus, est, quo certa res existens ita fit alicui devincta, & obligata; ut quocumque devenerit, eidem a quacumque manu sit repetere possit, ut sibi absque injustitia nequeat denegari. Jus ad rem, seu personale est, quo non res ipsa, sed persona alicui sit devincta, & obligata: ita ut vel rem aliquam, vel pretium ejus tradere teneatur. Pono exemplum. Emisti equum a Titio, sed nondum accepisti, habes jus ad rem contra Titium, si tibi nolit equum tradere: nondum tamen habes jus in re, seu dominium supra equum, quia nondum est tibi traditum. Unde si hoc tempore equus moriatur, Titio moritur, non tibi: & subinde Titius enumeratam pro equo pecuniam tibi restituere tenetur. Si vero equum emptum jam accepisti, per talem equi traditionem accepisti jus in re, & dominium equi: sicque hunc numero equum a quocumque alio ipsum detinente, exigeret vindicare potes.

II. Hinc inferes primo: quod si Titius equum a te emptum, nondum tamen secuta equi traditione, alteri venderet, donaret, imo & traderet; equus ille esset illius, cui postremo Titius donasset, aut vendidisset, neque tu jus in illum equum haberes: haberes tamen jus ad personam Titii, quæ tibi devinta manet ex illa venditione, ut possis Titium compellere, nedum ad restitutionem numeratæ pecuniæ pro equo: verum, & ad compensationem damnorum, si quæ tibi inde secuta sunt.

II. Ex quo infertur secundo: ad acquirendum jus ad rem, seu personale, sufficere aliquem titulum juris, puta emptionis, stipulationis, donationis, legati, electionis &c. Ad acquirendum vero jus in re, seu reale, requiri actualem traditionem, sive apprehensionem rei venditæ, donatæ &c. Insuper ut habeatur jus in re, debet illa res suo modo existere: res enim, quæ nullo modo existit, non potest proprio domino vindicari, quod est proprius effectus juris in re.

IV. Infertur tertio: circa eamdem rem posse ab uno haberi jus reale, & ab alio jus personale, ut patet in exemplo allato. Si enim equus tibi venditur, & non traditur, alteri vero venditur, & traditur; tu habebis quidem jus personale supra venditorem equi, sed alter habebit jus reale in equum. Unde cum jus reale prævaleat juri personali, equus manebit ei, cui fuit simul venditus, & traditus.

VI. Infertur quarto. Jus in re latius patere, quam dominium, & dominium sub eo, tamquam speciem sub genere, contineri. Dantur enim plures species juris realis, quæ proprie dominium dici non possunt: nimirum jus in pignus, & hypothecam, jus, quod usuarius habet in rem, se ad tempus conductam, jus uxoris erga maritum, jus filii in parentes, ut eum alant, jus Christianorum, ut a suis Parochis instruantur.

VI. Tandem inferes: in unam eamdemque rem posse simul a pluribus haberi jus reale, diversæ tamen rationis. Nam in unum idemque prædium potest, verbi gratia, Cajus habere jus, & dominium directum, & Titius dominium utile, ut infra.

### §. II.

*Quid sit Dominium.*

VII. DOminii vocabulum dupliciter usurpari potest. Primo in ampla quadam significatione, quatenus dicit respectum ad rem, in quam quomodocumque habetur possessio, seu jus. In hac ampla significatione Reges dicuntur rebuspublicis dominari; cives habere dominium super viis publicis, fluminibus, pontibus; parentes dominari filiis, immo etiam servi hoc modo dominium, seu jus habere dicuntur, ut sustententur a dominis, & filii a parentibus. Secundo, in magis stricta acceptione, & dicitur: *Jus reale sive gubernandi, sive disponendi de re aliqua, tamquam sua*. Dicitur *jus reale*, sive jus in re, quod ponitur loco generis. Licet enim omne dominium sit jus in re; non tamen omne jus in re est dominium stricte: nam jus usuarii, pignoris, hypothecæ jura realia sunt, non tamen dominia. Dicitur etiam *gubernandi, vel disponendi*: quibus disjunctivis particulis indicatur, hic definiri dominium generaliter, prout abstrahit a dominio jurisdictionis, & proprietatis. Et per ly *tamquam sua* ostenditur ad dominium generaliter requiri, rem adeo esse domino adstrictam, ut de illa proprio nomine, & auctoritate proportionaliter, & ad eos usus, in quibus subjicitur, possit disponere.

VIII. Dominium ergo generatim sumptum, aliud est jurisdictionis, aliud proprietatis. Dominium jurisdictionis est: *Jus gubernandi suos subditos in ipsorum commodum*: cujus præcipui actus sunt præcipere, vetare, punire, præmiare. Dominium proprietatis (quod ad præsens est dominium proprie tale) dicitur: *Jus disponendi de re aliqua, tamquam sua, in proprium commodum, nisi lege, vel conventione prohibeatur*. Quæ definitione a ratione dominii proprietatis excluditur: Primo, jus usuarii, hypothecarii, qui etsi jus habeant in rem aliquam, non tamen tamquam in suam. Secundo, jus Tutoris, qui licet habeat potestatem disponendi de rebus pupilli, non tamen tamquam de rebus suis, nec in proprium, sed in pupilli commodum. Quare hæc particula: *in proprium commodum*, videtur esse differentia essentialiter distinguens dominium proprietatis a dominio jurisdictionis. Dominium enim proprietatis non solum dicit prælationem, potestatem, seu jus in rem; sed tale, ut eam in proprium commodum ordinare possit. Quod jus non habent Reges, & Principes in subditos, nec in bona illorum. Hi enim debent gubernare Rempublicam propter bonum Reipublicæ. Unde Cicero eos, qui rebus publicis dominari, idest, in propriam utilitatem convertere præsumunt, tyrannos vocat. Similiter nec tale jus habent parentes in filios, nec Prælati in suos subditos; qui bonum filiorum, & subditorum procurare debent, non proprium. Illud tamen habet herus in suos servos, & quilibet dominus in res suas; de quibus facere potest, quod maluerit etiam in proprium commodum, & utilitatem eas consumendo.

IX. Præfatæ definitioni additur: *Nisi lege, aut conventione prohibeatur*. Quæ verba ponuntur ad indicandum, dominium proprietatis posse ad libitum uti rebus suis, & prout ipse maluerit; modo tamen talis usus lege, vel conventione rationabiliter ei non interdicatur. Lege quidem. Nam esto primogenitus sit dominus suæ primogenituræ, & pupillus suæ hæreditatis (idem dic de uxore, vivente marito, respectu suæ dotis) leges tamen justissime vetant, primogenitos bona primogenituræ posse ad omnes usus expendere; & pupillos minores alienare bona sine auctoritate Tutoris, Curatoris, vel Judicis, eorum actus in contrarium reddendo irritos: quamvis interea plenum dominium habeant rerum suarum. Similiter esto Communitas Religiosa habeat dominium bonorum ipsi relictorum; ea tamen absque beneplacito S. Sedis alienare, sive obligare nequit. Et dato, quod habens beneficium Ecclesiasticum sit beneficii dominus, illud tamen alienare prohibetur; non solum ob vitium simoniæ, quod incurreret, sed etiam quia translatio beneficii est jure naturali, ut aliqui censent, vel saltem Ecclesiastico impedita: quod intelligitur etiam de dominio utili, sive translatio sit perpetua, sive ad tempus,